



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

De epistolis Dionysii Alexandrini episcopi. Cap. XXI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

## EVSEBII HISTORIAE

illa non modo, vt Græci loquuntur, ἀστράϊσως id est absque vllō orationis vitio, sed etiam summa cum verborum elegantiā, maximo sententiarum pondere, & concinna elocutionis dispositione perscripta sunt: tantum abest vt vox aliqua barbara, aut Solæcismus, aut imperitus & rudis sermo in eis reperiatur. Habebat enim euangelista vt viderur, hæc vtraque: & disertum sermonem, & scientiam diuinam: propterea quod dominus ista duo, nimirum donum sapientiæ, & donum cognitionis, illi largitus fuisset. Et quanquam hunc, qui scripsit Apocalypsim scientiam & prophetiam animo cepisse, non equidem inficior, eius tamen sermonis proprietatem, & linguam non adeo limatē & politē græce loquentem animaduerto: sed modis loquendi planē barbaris vtentem, & interdum etiam solæcismo: quæ quidem in præsentia adnotare non est necesse. Nec quisquam me cauillandi studio adductum hæc dixisse existimet, sed solum, vt istarum scripturarum dissimilitudinem accurate distinguerem.

*De epistolis Dionysii Alexandrini episcopi.*

CAP. XXI.

**P**Ræter epistolas Dionysii supra commemoratas aliarum complures eius extant epistolæ: vt illæ quæ sunt contra Sabellium ad Ammonem ecclesiæ Bernicensis episcopum missæ: & ea quæ ad Telephorum, & quæ ad Euphranorem data fuit: alia iterum ad Ammonem, & Euporum. Quatuor item libros de eodem argumento, nempe contra Sabellii hæresim composuit: quos gentili suo Dionysio, qui Romanus erat episcopus, dedicauit. Non pauca præter has sunt illius apud nos epistolæ. Quinetiam libri illius sunt, epistolæ forma, pluribus verbis compositi: vt hi de natura Timotheo filio dicati: Alius de tentationibus, quem Euphranori obtulit. Ad Basilidem porro ecclesiarum Pentapolis episcopum scribens, ait se commentarios in principium libri, qui Ecclesiastes dicitur, confecisse. Adde huc diuersas & varias eius epistolas ad eundem Basilidem scriptas, quas nobis reliquit verum de Dionysii operibus satis.

De